

ANN. VII - FASC. I

IDIBUS JANUARIIS MCMXX

ALMA ROMA


PER. IT.
ALM. ROM.
1920-1922



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



C. DEL VECCHIO.



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus

Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae:

In Italia: Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arezzo - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Bibbiena - Bologna - Bolzano - Bra - Brescia - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carrù - Castellamonte - Castelnuovo di Garfagnana - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Como - Cortona - Cuorgnè - Fabriano - Fermo - Firenze - Foiano della Chiana - Foligno - Fossato - Frascati - Frosinone - Gaiole in Chianti - Genova - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciano Marina - Merano - Messina - Milano - Mondovì - Montesampietranello - Napoli - Nocera Inferiore - Norcia - Orbetello - Orvieto - Pagani - Pallanza - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Pontecagnano - Pontedera - Portoferraio - Porto S. Giorgio - Potenza - Roma - Salerno - Sansevero - Segni (Scalo) - Siena - Tagliacozzo - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo.

Apud Italicas colonias: Bengasi - Tripoli.

Apud exteras gentes: Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona, Montblanch in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tautah, Beni, Mazar, Beni Soueff, Bibeh, Dessouk, Fashn, Fayoum, Kafr El Chelkh, Magagha, Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Alessandretta, Beyrouth, Caiffa, Damasco, Giaffa in Syria - Gerusalemme in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne in Asia minore - Rodi in Aegeo mari.

Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.

Pro “ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quo sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Fridianus** et **Francisculi prandum**, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1,25; ambae lib. 2.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores.** - Si tegumento solut. lib. 2; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 3.

I. B. FRANCESIA **Saturio, Euplius, Ad Romam**, Actiones dramaticæ. - Singulæ lib. 1,25; omnes lib. 3.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI **Arrhae Gorgoniae**, Milesia fabula. - Lib. 1.

Premium annu
doll. 2,40
rem, Ro

Quum
enunciare
retur, rere
armorum
familia, fra
mutuae in
loquuta es
habemus
at nondur
altera gen
scriptum u
tatem illar

Nostru
licet vero,
ex intima
conceptas
indiciis, q
effugit co
facta? Qua
universalis
adhibenda
negligi cu
collectum,

quila - Arezzo
 Bari - Bibbiena
 tima - Canale
 gnana - Cecina
 tona - Ciuorgnè
 sato - Frascati
 Ivrea - Livorno
 - Milano - Mon-
 etello - Orvieto
 no - Pontedera
 ansevero - Segni
 - Torre Pellice -

gona, Montblanch
 Said, Mansourah,
 Kafr El Chelkh,
 Malta in insula
 Syria - Gerusa-
 in Asia minore -

iae sunt.

ociis

venum dantur,

um, Milesiae
 dis. - Singulæ

s. - Si tegu-
 , lib. 3.

tiones drama-

bula. - Lib. 1.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (fr. 12;
 doll. 2,40; sh. 10, etc.); ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI docto-
 rem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.



“ ALMA ROMA „
 IN ANNUM MCMXX

Quum proposita nostra ineunte anno, in fasciculo mensis Ianuarii MCMXIX
 enunciaremus, spes affulgebat fore ut in maximo novoque, qui proxime nasce-
 retur, rerum ordine, quum nationum illa oriretur societas, cuius esset brutaे
 armorum vi iuris atque caritatis virtutem sufficere; in magna hac populorum
 familia, fratres universi orbis quasi necessario animi sensu, ad unicum illum
 mutuae intelligentiae sermonem sese verterent, quem communis Alma Mater
 loquuta est, et loquitur adhuc. Hanc spem immutatam ac firmam et hodie
 habemus ac repetimus, etsi videmus arma quidem inter nationes deposita,
 at nondum depositas contentiones et similitates, quae non modo unam ab
 altera gente dividunt, sed cives passim unius civitatis. Scilicet, quum de pace
 scriptum utique sanctumque est, pax adhuc in terris minime rediit; tranquillita-
 tem illam ordinis dicimus, sine qua pax vera et durabilis esse non potest.

Nostrum hic non est tristis huius rerum publicarum status inquirere caussas;
 licet vero, imo debitum est nobis, votum aut potius fidem renovare, non quidem
 ex intima una animi suasione, formas illas eximias, quas de latinitate animo
 conceptas habemus, re serius ocios, at certo iri firmatum; sed ex satis exploratis
 indiciis, quae vel in ipsis tenebris quasi solis radii apparuere. Ecquem enim
 effugit confusio et vacuitas a linguarum multitudine in ipso concilio Parisiensi
 facta? Quae tanta fuit, ut Galli ipsi iam de renovando latinae linguae, quippe
 universalis, usu, quaestionem agitent; a quibus dissentire de ratione ad rem
 adhibendam possumus - (et profecto dissentimus; nescimus enim quomodo
 negligi cum iis queat, imo abiici thesaurum illum latinitatis a saeculo xv ad xvii
 collectum, ex quo apprime manavit, latinum sermonem revera ita ductilem,

ut ad quaevis exprimenda optime valeret) - verum ad eos accedere, cum iisque laborem consociare non dubitamus, quem nos vocant ad fascem illum latinitatis cultorum congerendum, quem tot iam annis in hisce paginis indesinenter invocamus. Quid autem si hodie manifesto addimus nostri animi desiderium ut Alma haec Roma, quae et Orientale Institutum recens salutavit, suum in sua ipsa domo, inter ulnas suas quamprimum accipiat *Seminarium Latinitatis?*

Sed lux splendidior nobis qui scribimus, idest consociationi a commentario nostro constituta, aliunde est allata. Fortuna scilicet nobis permisit, ut in Patronorum numerum hodie recensere etiam possimus clarissimos viros EDMUNDUM DALBOR, archiepiscopum Gnesnen. et Posnanien., Polonorum Primate, atque ALEXANDRUM KAKOWSKI, archiepiscopum Varsavien., nuper in Sacrum Purpuratorum Senatum ob singularia erga religionem et patriam merita a Summo Pontifice vere Benedicto cooptatos. Auspicium quidem felix; auspicium et monitum. Non solum enim apud amplissimam illam et generosam civitatem excubiae illae iterum constitutae nobis visae sunt, quae per tot saecula latinam humanitatem nostram contra irruentes barbaros summa virtute servarunt, sed etiam navitatem et industriam sumus admirati curandi, ut simul cum renata patria studium et humanitas illa renasceretur, quae divini et humani iuris, religionis et civilis cultus semper et ubique exstitit signaculum. O utinam, cereus ille, quem diu Roma sancte custodit, donec Polonia in libertatem iterum vindicaretur, et nos pie sumus deosculati priusquam ab amplissimis illis viris sollemniter deferretur Varsaviam, ubi iam nunc ardet, sit causae nostrae pulchra nec tacita figura!

Hisce animi sensibus ad septimum vitae nostrae annum accedimus, sociorum benevolentia confisi, nunquam defutura. Quod ad nos attinet, nihil relinquemus, quo eorum optatis satisfaciamus, et varium in dies magis, utilem gratumque reddamus commentarium nostrum: ii, coeptis nostris favere pergent, consiliisque et opera in itinere, haud profecto omnis generis difficultatibus carente, nos comitentur. Ad quem finem rogationem alias, nec sine successu iis delatam iteramus; nempe ut quisque virum saltem unum, quem inter amicos reperire non difficile haberet, subnotatorem novum nobis procuret: ita enim fuerit sociorum numerus ac sine labore brevi geminatus. Quum enim omnes experiantur quod vitae pretium hodie sit, omnes pariter cito illud intelligent, quod eo vehementius commendamus: *Socii pretium subnotationis suae solvere ne remorentur.*

Ne denique ambigua circa consociationem intercidant, hae leges, iam pridem a nobis positae, in mentem revocentur:

1) *Consociatio ad anni exitum non retractata pro redintegrata habetur.*

2) *Qui ALMAE ROMAE specimen habuit, neque post fasciculos tres acceptos reddidit - (quod nullo impedio facere poterat, siquidem quae a publico cursu tradita recusantur, gratuito ea ad mittentem restituuntur) - tamquam socius valide reputabitur.*

Consociatio autem nostra, uti constat, bifariam distribuitur, Patronorum nempe et Sociorum.

PATRONUS est qui summam saltem italicarum libellarum centum quotannis ALMAE ROMAE commentario elargiendam sibi sumpserit; eique ius fit exemplaria aliquot gratuito attribuendi totidem personis a se designandis.

SOCIUS sive *simplex*, quemadmodum vulgo dicitur, est, sive *bene meritus*. Alter in singulos annos solvit si in Italia libell. 9; extra Italiam ubique libell. 12 (fr. 12; dollar 2,40; shell. 10, etc.). In ordine altero ii recensentur, qui libell. 25, aut externae pecuniae iis aequantem summam obtulerint.

Omnes insuper socios, et veteres et recentes, admonitos iterum volumus, apud administratorem nostrum acquirere sese posse tum Milesias lepidas fabulas latine descriptas, scenis apud ephebea facile agendas, *Fridianum* et *Francisculi prandium*, singulas pretium libell. 1,25, ambas pretio libell. 2; tum Herminii Iacobelli opus, cui titulus *In campo latinitatis novi flores*, recentiorum rerum lexicon parvum itemque utilissimum, pretio pariter libell. 2 si tegumento solutum; libell. 3, si xylina structura aureoque titulo eleganter ita contextum, ut optime memoriae ergo atque donationis praemiique gratia offerri possit.

ALMA ROMA.

DE STUDIO LITTERARUM LATINARUM

Quum mecum ipse considero quibus de caussis litterae latinae his diebus mala sidera sustineant, ut vel despactui apud multos prope habeantur, dum tot ludi publici ad eas addiscendas, quot sunt civitates, multiplicentur, mea sententia, si mihi quae alte sentio liceat expromere, culpandum in primis esse studiorum rationem video. Plerique enim doctorum, viri ceteroquin solida clarissimi doctrina, puerorum aures, minimis non syntaxis modo, sed elegantioris generis scribendi formulis obtundere solent; qui taedio, ne dicam fastidio, satiati, a studio nimis avido abhorrent, cui sunt impares, eo magis quod in varia et diversa distracti distineantur.

Nostrum memoria, quum simplex docendi ratio esset, tum ubiores fructus. Pensa enim scholarum tirones, magistro auctore, domi suis viribus et soluta, et numeris adscripta oratione, elegantia quadam conficiebant, potius latinum addiscentes

periculo faciendo, quam nudis aridisque grammaticae praceptis: id arbitror apprime in omnibus esse utile; at in omnibus ne quid nimis.

Neque secus sentiebat Thomas Vallarius, latinae eloquentiae nostra aetate facile princeps, qui fere quotidie in athenaeo Taurinensi suis auditoribus inculcabat sedulo legendos, terendos, pervolutandos omnes libros Romanos; fore enim, si latinae alicui lucubratuunculae operam navarent, uti verba, voces, dictiones, coniunctiones, imaginum copiam et sententiarum lumina in promptu haberent. Eamdem sententiam veteres tenuerunt Itali et externi homines eruditissimi, quibus familiaris latini sermonis fuit usus.

Unde enim tam felicem hoc idiomate scribendo copiam et elegantiam, ut brevi praecidam, ex nostris Morcellius et Boucheronius; unde tot ceteri scriptores suixerunt? Assidua optimorum scriptorum lectio, quibus per otium excerptabant, cum elucubratione alternata. Lippis et tonsori-

bus notum, nullam rem tam ad linguam proficere addiscendam, quam in ea scriptitare. « Circulus et calamus fecerunt me doctorem », ait de se Augustinus...

Inter multos praestantissimos scriptores saeculo decimo sexto, in memoriam Desiderium Erasmus revocare quoque iuvat, qui duos scripsit libros, quorum in altero fere universos homines insanis quadam affectos ostendit, in altero vehementer eos insectatur, qui in scriptura fere singula verba Ciceronis trutina probanda putent. Is est absque dubio scriptorum veterum vir peritus; ita autem perbene latine scribit, ut videatur Romae esse natus.

Nolim vero quis forte putet iis quae dixi me velle detrahere illorum auctoritati, qui assiduo labore et studio apparatus Ciceronianum formulisi, vocibus, locutionibus, sententiis compararunt, ut perpetuo latini sermonis candida luceret integritas. Stabilem tamen et firmam habeo sententiam hoc de arguento, neque parvi momenti, universam litterarum latinarum haereditatem diligentissime conservari debere, quarum studium undequaque sit foveandum, ut ubiores fructus edantur. Quanta a Romanorum iure derivare iuris consulti non possunt, quod est omnium latarum legum fons inexhausta? Quanta etiam recentium litterarum navi amantes, quum inter utramque linguam sororium intercedat vinculum, ad opportunitatem mutuare! In quibus nemo certe famam erit assecuturus, quin in rebus romanis omnibus mediocriter fuerit versatus.

Omnium igitur latinorum auctorum studium persequamur; ex quibus, ut apes a floribus omnibus, succum extrahamus in mel a nobis ipsis convertendum; mel, inquam, a nobis, hoc est ab animo nostro et a mente nostra, confectum; magis aut minus purum, sed dulce semper, et suave, et gratum.

S. Z.

AD POLONIAM RENATAM

*Diras passa vices, praeda latronibus
dispertita tribus, mitte, Polonia,
luctum: libera rursus
regnas unaque natio.*

*Iam nec te laniat Russia, nec tibi
tollit, nata rapax, tecta Borussia;¹
linguam nulla Fidemque
vis aufert tibi patriam.*

*O iucunda dies, quae tibi reddidit
priscos cum veteri nomine terminos!
O lux alma, PIOque
NONO visa nitescere!*

*Vixdum martyr erat Iosaphat agmini
adscriptus Superum, cum PIUS, extasi
in caelum quasi raptus,
dixit voce prophetica:*

*« Huc accedite nunc, stirpe Polonica
exorti, mea vos gaudia, filii;
huc accedite, vobis
en pro munere Cereum
trado fatidicum. Quinque decennia
volventur; nova tunc, fausta Poloniae,
succedit, BENEDICTO
Summo Praesule, tempora.*

*Sacram Roma Facem servet, Episcopos
dum binos rutilans purpura vestiat,
quos huc Gnesna triumphans,
quos Varsavia miserit ».*

*Iam vos eia, Patres murice fulgidi,
vestris ferte PII munera civibus;
ferte et quae BENEDICTUS
gratans elicit omina.*

*Vestrus impositus Cereus ardeat
aris; mensque simul ferveat omnium,
grates laeta canoras
summo reddere Numini.*

FRANC. X. REUSS.

¹ Intellige regnum Borussicum, quod a rapina Alberti Brandenburgensis initium accepit.

ARCHÆOLOGICÆ RES

Mariae cum puerō Iesu repraesentatio in ingenuis veterum Christianorum artibus.

Ut propositum absolvamus, in superiori numero (an. vi, fasc. XII) enunciatum, pauca hodie addemus de primaevis picturis, quae Deiparam cum puerō Iesu repraesentantes absque pastorum aut Magorum interventu, intimam materni amoris scenam praeseferunt.

Duae praesertim eae sunt, dignae profecto quae ab omnibus cognoscantur; altera in Priscillae hypogeo, altera in coemeterio, quod vulgo a S. Agneta nuncupatur.

Priscillana pictura, saeculo III, aut paulo ante, referenda, Mariam cum divino infante reddit quasi puellae cuidam adstantem, cui velum ab episcopo sit imponeundum. Episcopus puellam alloqui videtur, Mariam visu gestuque indicans, quasi illud Ambrosii moneat: « Hanc imitare, filia! ». ¹ Maria autem in opposita picturæ parte sedens appareat, Christum infantem nudumque ante pectus gerens, eodem prorsus modo atque in Isaiae pictura, de qua alias sumus loqui. In medio defunctae puellæ figura repetita est.

Pictura altera, saeculo IV attributa, apud arcosolium quoddam conspicitur; quamquam non omnes consentiunt Deiparam cum puerō Iesu ibi repraesentatam fuisse. Bottari primus de matre defuncta pro filio suo orante potius agi suspicatus est; alii autem auctores, vel inter recentiores, id pro certo habuere. Nihilominus, ut Scaglia adnotavit, ² haud obliviscendum est hinc et illinc, ad utrumque scilicet figuræ latus, duo adesse Christi monogrammata, quae in non paucis monumentis ipsius perso-

¹ SCAGLIA, *Not. arch. chr.*, vol. II, c. IV. - Cf. etiam WILPERT, *Pitture*, etc., p. 190 sq.

² Loc. cit.

nam Christi quasi designant. Praeterea – idque etiam Wilpertus animadvertisit – ubi in aliquo arcosolio clypeata (id est ovato depicta spatio), Christi adest figura, nunquam alia eiusdem integra, sive pueri, sive miracula patrantis aut apostolos docentis, imago deest; idque novies cernitur. Atqui, apud arcosolium de quo agitur, in arcuata fornice ¹ clypeatam, seu dimidiata, videre est Salvatoris effigiem; ergo et alia Christi figura ibidem inveniatur necesse est; quae quidem alia esse nequit, nisi ea quam illustrandam suscepimus. ² Hinc etiam patet cur puer non orantis habitu fuerit adumbratus.

**

In primaevis igitur monumentis Maria nunquam sola appetit, sed veluti Salvatoris Mater, et quasi ipsum adorandum propontens. Non absimili modo Abercianum carmen de Maria loquitur; hoc tamen discrimine, quod in eo Virgo Deipara Christum sub piscis speciem porrigit edendum: « Fides ubique mihi dux fuit, praebuitque ubique IXΩYN e fonte, ingentem, purum, quem prehendit virgo immaculata, deditque amicis perpetuo edendum ». Eadem cogitata, trecentis annis post, S. Maximus Taurinensis aliquatenus significavit: « Quin potius ipsam Mariam manna dixerim, quia est subtilis, splendida, suavis et virgo; quae, veluti caelitus veniens, cunctis ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluit, quem qui edere et manducare neglexerit, vitam in semetipso habere

¹ Italice sottarco.

² Hanc conclusionem Wilpertus quoque nunc amplexatur, qui prius non idem sentiebat (*Ein Cyklus*, p. 48). Pertinaciter vero contrarium tenuit Schultz, qui quum Romanos archeologos dixerit ita in apologetica praeoccupatos cogitatione, ut plures aliquando significaciones in eadem ac simplicissima cernerent figura; ipse in hac una imagine orantis conspicere haud dubitavit protectionis, benedictionis et commendationis actus cuiusdam mulieris pro filio suo! (*Studien über altchristliche Monumente*, p. 186).

non poterit, sicut ipse Dominus ait: "Nisi quis manducaverit meam carnem et biberit meum sanguinem, non habebit vitam in semetipso „. 1

Cum Wilperto denique et nobis concludere liceat: « Quamplurimas picturas in examen revocavimus, Mariam Virginem cum Dei Filio effigentes, quae ab initio saeculi II ad expletum prope saeculum IV progrediuntur. Christus in ipsis figura princeps est, etiam si, ut plerumque, in Matris gremio redditur; *Eum* Magorum spectat adoratio, *Eum* Isaiae vaticiniis suis magnificat; *Ipse* est Stella, quam Balaam portendit, ac propter *Eum* Michaea ad Bethleem gratulans adclamat. Ceterum negari non potest Mariam quoque locum occupare eminentem ... », quippe quae « uti Virgo Deipara, virginum Deo devotarum exemplar proponitur, atque eorum advocata, quos vita functi in terris reliquerunt ». Hae igitur imagines « magna produnt privilegia, quibus providus Deus Deiparam insignem reddidit; praeterea, - idque in nullo persecutionum temporis scripto documento reperire licet, - paucis quidem at praestantibus lineis, quemnam in primaeva Ecclesia locum Maria haberet, perspicue picturae illae commonstrant, eamque se haud aliam fuisse innuunt, quam postea fuit ». 2

**

¹ S. MAXIM., TURIN., *Homil. XLV*, P. L., LVII, 330.
² WILPERT, *Le pitture*, etc., p. 196.



DE IOSEPHO BARETTI

Antequam omnis hic annus praeterit, haud abs re esse iudico lectoribus memorare abhinc ducentos annos, mense Aprili, Augustae Taurinorum in lucem editum fuisse Iosephum Baretti, qui Italicarum

elegantiarum arbiter, aptis omnino verbis multoque acumine, hominum mores et ingenia descriptsit, et putidiores aetatis suae scriptores flagitiis notavit.

Tunc enim illae opinionum perversitates ortae erant, quae saeculo XVII Italicas litteras vitiaverant. Paullo ante monstruosa clarissimorum hominum ingenia in litteras nostras, veluti tabes, invaserant. Et in athenaeo Taurinensi eloquentiae doctor desiderabatur, cuius auctoritas in litteris valeret; nullus enim acerimi iudicii vir deerrantes ad rectum tramitem revocabat. Quapropter, Subalpinorum litterae penitus pessumdatae; atque illa scriptorum portenta extiterunt, qui ea tempestate ad caelum tollebantur; nunc vero risum cum indignatione excitare consueverunt. Quoniam, si quis ineptissime carmina de more amicis recitasset, vel in vulgus edidisset, omnes, una voce, *pulcre!* dicebant, *recte!* quas quidem laudes data occasione vicissim in laudatores revertabant. Hinc illa indignatissimi vatis carmina, quae passim per compita effutiebantur:

*Sic asinos videoas asinis adiungere costas,
Officioque pari se se ultro citroque fricare.*

Desiderabatur omnino « vir bonus et prudens », qui in scholis et inter scriptores non modo versus reprehenderet inertes, et acrius et pugnacius instaret, sed in hanc novam ardilionum debacchantium nationem acerrime inveheretur. Omnes enim intelligentis iudicii viri, cur, aiebant, nos amicos offendamus in nugis?

Tunc demum divinitus Iosephus Baretti faustissime adstitit, qui vel corruptissima aetate, suopte ingenio, mirum in modum, pulcri sensu adlectus, inter scriptores, maxima cum laude, inclaruit. Rhetorem professus, dicendi artem privatus docuit. Quo in munere obeundo, sese ita novum atque industrium egit, ut in ipso magno athenaeo litteras Italicas tradere optaret. At cum Carolo Denina, viro clarissimo, praef-

stantia litterarum et nobilitate contendere ausus est. Hic enim primus doctrinae suae alumnos a verborum angustiis in medias res deduxit, primus historiam uberioris abundantiusque tractavit. Quum in hoc munere certamine inferior evasisset, maerore tactus, patria relicta, ad Anglos se contulit.

Sed haec contumelia non eum fregit, quin imo mirum in modum erexit, et nomen Italorum vel apud extereras gentes renovavit.

Ad patriam reversus, Venetas petiit, ubi Gasparis Gozzi amicitia suffultus, parique litterarum amore abreptus, in pravos eius aetatis scriptores libero admodum more est inventus.

Sub Aristarchi nomine, ferulam acerime tractavit, cui italicice *La frusta letteraria* titulum indidit; quae quidem stylo tenui sed eleganti, facilis et puro, sic in virtutibus litterarum ferebatur, ut Horatii nitorem atque asperitatem unus omnium retulerit. Quum multi eum feritatis atque invidiae insimularent, et ipse lepide cum Horatio scribebat: « Sunt quibus in *litteris* videar nimis acer; sed ego, - aiebat, - illos unice reprehendo, qui, invita Minerva, frustra ac vito scribere consueverunt ».

Eius dictio simplex est, aperta, at vehementissimo odio fertur in scriptores, qui litteras patrias labefactarent; et vividis adeo coloribus inanes scriptorum artes depinxit atque in cetera virtutibus aspera invenit, ut mille in se odia excitaret. Hinc acerbitas illa, quae in Baretti dominatur; hinc crebrae reprehensiones et querimoniae, quibus bilem suam quodammodo effundit: hinc denique genus illud dicendi nervosum, pressum, argutum, quo fortis magnique animi lectores potissimum tenentur.

Barettium, utpote gravem scriptorem, atque italicae elegantiae praeclarum magistrum in primis, merito laudant elegantiores, eiusque epistolae et hodie miro sane mentis delectatione perlegimus.

Nemo enim, mea quidem sententia, altius scribendi arcana auctorumque consilia perspexit; nemo aptius, quum de eloquentiae nobilitate diceret, fontem elegantiae explicuit, vel dicendi dictionem, vel defectus. Eius dictio, etiam si aureae aetatis castitatem non referat, et nimis saepe aspera appareat, elegans tamen et plana, perspicua et nativa quadam simplicitate sponte fluens, studiosis admodum probatur atque tironibus, qui possunt ex ipsa germanam pure loquendi consuetudinem haurire.

Demum, devexa iam aetate, litterarum studiis unice intentus, clarissimorum hominum consortio adlectus, Italiam iterum reliquit, et Angliam petiit, ibique eruditissimis viris carus acceptusque obiit.

Culpandus tamen, quod saepe non scriptorum virtutis indignabundus modo perstrinxit, sed homines in primis honore dignos exagitavit, eosque male habuit.

Quam vero laudandus atque in exemplum componendus Quintilius ille, qui sereno vultu versus corrigebat et nulla prorsus verborum ira, delictum scriptorum

*delere inbebat,
Et male tornatos incidi reddere versus!*

Idibus Decembribus MCMXIX.

I. B. FRANCESIA.

DE HODIERNA HOMINUM VITA VOLUPTUARIA

Incredibile dictu! Et mecum prudentissimi viri idem opinabantur, homines ex tetro bello, quod paulo ante pugnatum est, prudentiores esse evasuros; at nos omnis spes admodum fefellit. Quid adhuc de mortalibus meliora auspicari audeam? Omnia in praeceps ruunt, nec ulla adpretatio, nec ullum studium aliquid valet.

Haec, aliaque id genus complura, tacite mecum ipse voluntabam, quum in magnum praesens mortalium excidium omnia cernerem proruere, et homines, iniquo veluti spiritu abreptos, atque in deliciis desperditos, dum prudentiores, in hac labili rerum quiete, frustra ad agendum nos sollicite revocant atque hortantur, nihil aliud insane quaerere atque optare, quam laete iucundae vivere. Et nullo sane labore magnifice res sibi optimas curare possent. Quot enim operariis potissimum uberrimi fructus, veluti e fonte manant! Ipsi, si cupiditatibus frenum aliquod iniicere vellent, et quid ex improbis emolumentis ad mensam modo conferrent, brevi post tempore, iucundiora sibi quaeque auspicia pararent.

At multae necessitates, multaeque insatiabiles cupiditates, veluti ex composito irruunt in eos, miserum in modum vexant, et eos breviter, adsurgente aliqua angustia, in extremam miseriam impellant.

Sed iuvabit mordicus rei adhaerere.

Mihi heri forte in urbe deambulanti in via, quae Romae inscribitur, obvii sunt duo amiculi, qui ad tabernam respiciebant, ubi multa variaque dulcia veneunt. Res ipsa impotentes ad degustandum eos provocat, et ultiro inter se se mutue ad emendum stimulant.

— Eamus hinc intro?

— Ad quid?

— Ad quid? Iocaris, ingenue! Haud certis quae pulcra sunt nostris oculis obiecta? Propterea non ad videndum modo, sed, si per marsupium licuerit, ad haec nonnulla quoque, tam visu pulcra meliusque gustu suavissima, delibanda.

— Nobis iuvenulis, adeo gutturi inseruire, malum esse iudico.

— Dic potius, tanta nobis iucunda durius invidere, nimis improbum esse! Paucis: quid hic stamus in limine tot inania serentes? Id damni est nobis. Nonne vides quot hominum oculi nos curiose

circumspiciunt, nosque litigiosos prope modum reputant? Eamus ergo intro.

— Eamus! I piae, te subsequar.

Quae hic degustantium clamorosa frequentia! Adsunt senes, adsunt et numerosiores iuvenes.... Beatores adsunt et locupletes.... Nec deest, aere alieno gravatus, de quo Horatius scripsit:

Omnia conductis coëmens obsonia nummis!

Timidus hic puerulus, ingressurus, sudore diffluens, ad aures amiculi murmurat:

— Tetra res est, velis, ut ita dicam, remisque fugienda!

— Quid Ciceronem memoras? Perperam eum in medium refers! Eamus potius ad Apollinem cum Lucullo.

Ne quid taceam, adesse referam et plurimas mulieres, superbe ornatas, quae matronalem pudorem omnino respunnt; adsunt et puellae.... Qui varius hominum concursus! Omnes autem, uno quasi pravo corporis instinctu allati, ad mensam se recta conferunt, rapidisque manibus avide dulcia appetunt, et venditorem, qui praesidet, omniaque voce oculisque dirigit, mille premunt immodicis postulationibus, et miserum in modum pervicaces contundunt. Quae eos tenet malesuada fames!

Hos si ex vestibus iudicaveris, honestissimos equidem esse dixeris.

Sunt et milites, quos olim duriores nuncupasses et barbaros, qui moliores nunc vitam vivunt. Omnis hic virorum globus, « spissaque de nitidis tergit amoma comis! ».

O tempora! o mores!

Hic est avuncula, quae multorum obliterannorum, blandula impatienti nepoti,

Melle saporatam et medicatis frugibus offam Obicit.

Et e contrario, altera in parte duo nepotes industrii, ut scripsit Horatius,

Crustis et pomis viduas venantur avaras, hereditatem aucupantes.

Dolendum sane, quod has plerumque splendidas urbis tabernas, operarii, praeter adsuetum rerum ordinem, frequenter, et quod olim maximum fuisse et civibus dedecus, exquisitissima quaeque appetunt, praesenti et copiosa pecunia acquirunt, atque, ut in rebus voluptuariis exercitatiissimi, ea nomine suo appellant, et licet maximo pretio liberrime emunt. Huc itaque multi undique convenient, suavi quodam gutturis instinctu advocati, et quotquot sub vesperum, negotiis ablegatis, per urbem liberi vagantur, vel domum petunt, ut se se ibi ad prandia sollicite parent.

Sunt enim hic complura bellaria adhuc fumantia, mille sunt dulcia diversa forma gustuque, sunt crustula, sunt et tragema.

Quae ingeniorum foecunditas, quaeque mortalium immensa ingluvies!

A me si quis fortasse postulet: Estne igitur unica in tam magna urbe dulcium taberna, ad quam propterea tam offarum cupidi inhiantes adcurrunt, et se se praeter ordinem avide ingurgitant ac pene suffocant?

Res longe alia est!

Haec est taberna procul dubio omnium commodissima. Namque advenientibus incolis profecturisque aptissima.... En e regione, maxima statio princeps ferriviarum, atque ad eam veluti ad flumen, siti compulsi, se se in medios adventores iniciunt. Quid autem dicent, si forte inviserent tabernam et officinam, quae vulgo appellatur: *Il caffè Romano?*

Est in media urbe, sunt hinc inde pulcherrimi porticus, quibus maxime laudatur Taurinensium civitas; ubi commode, peculiari diei tempore, ac libero prorsus modo, viri beatores deambulare ante prandium consueverunt. Hic splendidae argentariae, hic purpura pretiosaque texta, quae divitum saepe cupiditatem foeminarum accidunt. Hic uno verbo simul quodam-

modo collecta videbis quotquot mentem mortalium tangunt. Intus autem quot specula te tibi simillimum millies reddunt! Quot aurea ornamenta in parietibus nient!

Et super marmoreas mensulas elegantes vestes pictae cudent!

Et ni fallor, sunt centum et amplius huiusmodi tabernae, quae magis minusve sumptuosae in dissitis urbis partibus volutuosos alliciunt.

In omnibus et piae ceteris operarios invenies, qui hac potissimum aetate monstruosis admodum quaestibus ditati, pecuniam sic facile conquisitam cauponibus propere ac profuse mittunt.

Haud de uberi senectute cogitant, neque valetudinem metuunt. Uno verbo, in diem vivunt et sibi, « nil pensant quidquid posterum luna ferat! ».

Quid de officinis huiusmodi esset dicendum?

Sunt multae admodum et splendidiores; ubi saepe centum et amplius licentiores artifices artem excent.

In ipsa aedium insula, in quibus nunc habito, quo melius rem tibi describam, est dulciaria officina. Quae ars si ultimo bello, quod nuperrime apud nos insanit, ob sacchari caritatem hominumque angustias, visa est aliquantis per haerere ac propemodum comprimi, mox ex ipsis difficultatibus animos sumere viresque in dies acquirere coepit. Et quot amplissimi quaestus referuntur!

Primum, memoria patrum, hoc rerum commercium advenis omnino adsignari nos patiebamur, quasi aegre nostri ferrent gustui tantummodo hominum inservire. Et multo tempore *Helvetius* et *dulciarius* unum idemque significabant. Mox, quum Augusta Taurinorum urbs regni Italorum caput primum salutari meruit, ut in aliis, et hac in re animosa primas refferre voluit. Quo facto, nostri vehementius negotiari undique cooperunt, ne adve-

nis tantummodo liberum hoc commercium relinquerent, sicque rem suam mercaturis faciendis augerent. Et more suo, gens nostra ferax et propositi tenax, totis viribus et magno illico rebus nostris emolumento ad hoc genus negotiorum se consultit. Infinitus essem, si modo memoria patrum in medium vel nomine referre vellem officinas huiuscemodi e fundamentis conditas. Primus in Subalpinis «famam qui terminet astris» et suo marte ac propria virtute est hanc rem adgressus, habetur Alexander Rocca, acerrimi ingenii vir, qui humili loco natus ad maiora se natum esse praedicabat. Paucis post annis eo processit, ut offella eius exquisitissimo gustu nobilique apparatu in ipsis regalibus mensis proposita, in omnia convivia sumptuosiora collata maxime laudaretur. Quis fando saltem eius *caramellas* non arripuit? Quae breviter omnem Europam Americamque peragrarunt. Sic Augustae Taurinorum urbs *caramellarum* caput undique propter excellentiam salutatur. Alexandri ductu praescriptoque complures primum artifices exierunt, qui artem summo cum honore rerumque opibus perfectissime sunt assecuti. Quo nomine alii atque alii eamdem viam adgressi, auctis quaestibus, multis semper additamentis adjunctis, aedes sibi ampliores construere coeperunt, easque in meliorem formam redactas, et ad temporum rationes. Maxima hinc nobis redeunt vectigalia. Sunt enim centum et amplius opifex, qui quotidie farinam subactam fermentant: «fermento atque acidis imitantur vitea sorbis».

Quae quum ita sint, magna quum vigeat operariorum industria opusque ferveat, ingredi tandem licet, omniaque diligenter inquirere.

Te in primis monitum volo, qua potissimum arte, possessores caveant ne artifices plus aequo offellas quas fermentant, vorent atque destruant. Ita se gerere solent. Ne sui officinatores, nimio gutturus de-

lectamento abrepti, industriae oblii, tempus inaniter terant, remque furtim absument, primo die, quo huic operi incumbunt, nullo abnuente, liberrime quaeque atque libentissime plenisque manibus consumere possunt. Quid hinc? Ut Hebraei in eremo vel divinam mannam aliquot post dies, tristes, difficiles, nauseabundi fastidiunt, et ipsi, postquam ad satietatem semel iterumque ex voluptate comederint, eam de dulciariis nauseam persentient, ut nihil in posterum nisi invito animo accipient.

In primo vero officinae ingressu mira multorum diversorumque odorum commixtio ita nares admodum offendit, ut te quasi ab ostio fastidiose nepellat. Adeo est aer graveolens ac foetidus! Omnia enim certatim volitant odoramenta, et suffimina liquidis te urgent odoribus. Intus vero alacres atque adsiduae stant quinquaginta et amplius puellae, quae mirum in modum in opera incumbunt. Haec studiose dulciaria in chartula cum carmine involvit, illa ex gusto ac forma cuncta disponit. Dolendum utique, quod saepe scurrilibus verbis rem intaminatam polluant.

Agedum, odorare haec plura bellaria. Quid olent? Alia redolent fraga, aliaque ribesum. Haec sapit amygdalinas nuces, vel lactis florem, malumque Assyria;

Nec deest ructatrix mentha, nec herba sa'ax!

In alia vero et reconditiore parte adsunt pistores, qui fumantibus clibanis ligna super semper largeque reponunt; ut in diem sic satis quaerentium voluptatem impleant, novis iisdemque perpetuis offellis.

Et propterea, ut Horatii carmina sub finem mutuem,

*si nova febrium
Terris incubuit cohors,*

et multos passim molesta incommoda queritantes audis, tot malorum receptum huiusmodi lubidini dulciarium referendum esse haud dubitaverim. Utinam vero homi-

nes, suis ipsis infirmitatibus experti, ad meliorem frugem tandem se se recipiant, et frugalem patrum mensam imitati, cibos simplices exoptent parcisque dapibus laetentur!

Quod Deus nobis opportune concedat, etiam atque etiam rogo et obtestor.

SUBALPINUS.

COMMUNIA VITAE

De valetudine percontatio Morbi - Medicamenta.¹

Ex istis morbis sanum te atque integrum (firmum te atque valentem; viribus integris sensibusque restitutum) videre quamprimum cupio. - Te morbo brevi defunctum scire volo. - Vires tibi et colorum redire vehementer opto. - Confirmatum e morbo videre te quamprimum appeto (aveo, expeto, desidero, desiderio teneor, studio efforor).

Te respice. - Consulas tibi. - Nihil labores, nisi ut salvus sis (belle habeas; corpus tuum allevetur). - Cures summopere, ut morbo defunctus, corpus reddas salubrius.

Tanta prosperitate valetudinis quamprimum iterum utaris ominor, quae medicamentis nullis in posterum indigeat (ne quae diuturni morbi reliquiae redeant).

Depone omnia, et corporis valetudini servias (indulgeas valetudini tuae). - Fac ut in posterum firma semper sis affectione corporis - Da operam, ut recentem corporis imbecillitatem abiicias. - Quae valetudini maxime conducant diligenter adhibeas. - Tu velim ut valetudinem tuam confirmes (ut sanum te praestes et sospি-

tem; ut bonam corporis habitudinem recipias). - Non solum salutis, sed virium et coloris rationem te habere volo.

Occurrentum est (remedium dandum est) huic malo. - Praesidia comparanda sunt ad istos casus. - Quaerenda sunt remedia isti morbo. - Facienda medicina malo est. - Curatio diligens adhibenda est huic malo. - Medicamentis malum est abigendum.

Num arcessisti medicum?¹ - Arcessas medicum (medicinae peritum; medicinae cognitione clarum). - Ad istum morbum virum adhibeas, qui medicinam ita sit professus, ut callidus morbos vel incognitos revelet, et saepe ex iis victor evaserit. - Medico ad istud malum vincendum utaris diligenti (nobilissimo, studiosiore, optimo, summo), ut res postulat. Is ad pristinam salutem te revocabit.

Ad morbos difficillimos nobilissimus medicus quaeritur. - Medico non solum morbus, sed consuetudo valentis et natura corporis est cognoscenda. - Medici ex quibusdam signis et advenientes et crescentes morbos intelligunt.

Medicus te iacentem (male affectum) ad priorem sanitatem perducet. - Medici beneficio ad sanitatem versus eris. - Per optimum istum medicum pristinas vires reciperis (recuperabis, confirmabis). - Medicus sanitatem tibi afferet. - Medici opera in pristinum valetudinis statum restitutus

¹ Medicorum propria nomina praecipue haec sunt: *Clinicus*, qui morbos invisit in lecto decumbentes, *Chirurgus*, qui manus operatur; *Parabolanus*, qui nosocomis adscriptus est. *Empiricus* autem dicitur qui sola experientia medetur; *Iatrolepta*, unguentorum medicus. A Graeca enim fonte medicus latine quoque vocatus est *Iatrus* et *Iatrotechnes*. Inde *Archistratus* princeps medicorum et medicus principis; *Iatricotatus*, excellentissimus in medicina; *Iatrophilus*; *Iatrophysicus*. Inde etiam *Iatria*, medica mulier; *Iatricum*, ad medicum pertinens; *Iatricus*, medendi peritus; *Iatrogogus*, de medicina disserens; et *Iatrium* sive *Iatreium*, pecunia ob eius officia medico praestita.

eris. - Medicus te sanum iterum faciet (ad sanitatem te reducet, revocabit). - Medicus salutem tibi reddet (restituet). - Medicus istum morbum depellet (ab isto morbo te liberabit).

Ecquod medicamen (medicamentum; remedium) medicus tibi fecit (attulit)?

Nonne medicinam accepisti (sumpsisti)?

Medicina mihi allata est multa (Salutaris; Violenta; Consularis; Probata; Pluribus suspecta et invisa; Maior; Imbecillior; Perpetua; Tarda, sed magna; Tempestiva).

Pharmacopolum prope medicinis exhausi.

Sum medicamentis delibutus.

Eheu! nulla tot incommodis medicina reperietur!

Medicina venis concipitur. - In venas se ita diffundit medicamentum, ut sensim toto corpore eius salubritas percipiatur. - Per hanc medicinam aegrotanti mihi melius est factum.

(*Ad proximum numerum.*)

FORFEX



PRO IUNIORIBUS

Populus vana quadam spe persaepe deceptus, suam ipsius ruinam atque interitum appetit.¹

Urbe Veiorum expugnata, coepiti sunt Romae agitari sermones de parte Romani populi eo traducenda, censebantque Sena-

¹ EX NICOLAI MACHIAVELLI *De republica disputationibus*, quas *Discursus nuncupavit ex prima decade T. Livii*, lib. I, cap. LIII, latine vertit H. B. - Monitos vero omnes lectores volumus, hanc aliasque versiones a « Florentinorum Secretario » referendo, nobis eius doctrinis assentiri minime in mente fuisse, sed tantum pluribus sociis morem gerere voluisse, qui specimen versionum a celebrioribus auctoribus efflagitarunt ut in nostro commentario saepe saepius ederentur (A. R.).

tui partim, partim plebi habitandos Veios, quasque urbes reipublicae communes incoli a Romano populo posse: quumque pulcherrima Veiorum urbs agerque Vieitanus in conspectu positus, uberior ampliorque Romano agro esset, urbem quoque cum privatorum tum publicarum aedum magnificentia ac situ cum Romano conferendam aut anteponendam. Quae res optimatibus ita displicebat, ut morituros se potius coram Romano populo dicerent, quam passuros ut quicquam earum rerum decerneretur. Nihilo minus haec tanto ardore ac tam foedis certaminibus inter patres et plebem acta sunt, ut nulla res alia manibus temperare plebem cogeret, quam quod ubi rixae committendae causa clamor ortus esset, principes senatus primi turbae offerentes se peti, feriri atque occidi iuberent. Ab horum aetatibus dignitatibusque et honoribus violandis dum abstinetur, in reliquos quoque similes fiunt conatus: verecundia irae obstabat.

Quo loco animadvertere debemus, populum saepe decipi falsa quadam boni specie, et suum ipsius appetere interitum; quae res causa esse potest multorum in republica malorum, nisi plebs ab aliquo homine, cui ipsa confidat, erudiatur, et ab errore suo revocetur ad sanum iudicium. Quod si quando plebs prius aut iisdem rebus aut hominibus decepta, bene in praesenti casu monentibus confidere non audiat, aut nolit, tum, fato quasi, in perniciem suam trahitur: ex quo accidit illi, veluti Dantes de *Monarchia* loquitur, ut persaepe interitum suum clara voce expectat; salutem abhorreat.

Hinc persaepe etiam accidit ut in reipublicae deliberationibus saniora contemnatur consilia; sicuti Venetis accidit quum a tot hostibus simul impeterentur. Nam tunc nunquam ausi sunt tentare, si quempiam ex hostibus in suas partes pertrahere possent, restituendo illa, quae aliis per fas et nefas ademissent et quo-

rum causa bellum illis esset indictum, antequam ab illis opprimerentur.

Quod si rationes intelligere cupis quibus suaderi aliquid populo possit nec ne, in id oculos intentos habere oportet, ut observes, id quod suasurus es sit ne utile an inutile; deinde utrum honestatem quandam atque animi magnitudinem prae se ferat, an vero turpitudinem. Nam si populo proponas rem, quae prima fronte utilitatem et lucrum praesens videatur continere, itemque animi magnitudinem quamdam, facile illam persuadebis, quamvis, re ipsa et penitus introspecta, nec utilis, nec honesta sit. Contra autem, si quid re vera utile ac salutare sit reipublicae, tamen si id non ita evidens sit, ut omnibus manifeste appareat, nunquam sine summa difficultate plebi persuaderetur.

Haec plurimis exemplis probare possum cum antiquis tum recentibus, domesticis et peregrinis. Hinc Romae tot olim de Fabio Maximo suspiciones, qui populo Romano suadere non poterat satius esse cunctando sensimque progrediendo Annibalem distinere, quam ut subito universus exercitus periculum fortunae subiret. Quae quidem propterea illi accidebant, quod populus Romanus turpes existimaret esse illas cunctationes, nec quam utiles reipublicae forent, recta ratione metiretur. Sed neque Fabio argumenta suppeditabant, quibus in consilia sua populum induceret. Usque adeo enim caeci quandoque sunt homines, quum laudis atque gloriae praemia proposita esse vindentur, ut tunc populus Romanus Magistro equitum potestatem fecerit, contra Dictatoris imperium, dimicandi; qua occasione proelium semel committens, in summum discrimen rem Romanam adduxisset, nisi Dictatoris prudentia malo consilio remedium invenisset. Atqui Varronis consulis fatum eos edoceri oportebat; qui quum undique per plateas publicis locis promit-

teret, se Annibalem victurum, si ei potestas fieret cum illo dimicandi, tantum auctor fuit clavis ad Cannas acceptae, qua Romana res propemodum interiit.

(*Ad proximum numerum.*)



ANNALES

Parisiense concilium de pace.

Pax Bulgaris imposita, est demum et ipsa ab eorum legatis, Neuilly in castro, subscripta; paucis post diebus regnum quoque Serbo-Croatum-Slovenum, quod tamdiu fuerat moratum ob pecuniariam quamdam clausulam cui est deinde temperatum, tum foedus Sancti Germani cum Austria, tum Nevillense hoc cum Bulgaris rata habuit.

Exspectatur nunc Germaniae assensus commentariis, pacis foederi additis (« protocollum » vulgo nuncupant), per quae licet decretoriam vim ipso foederi tribuere. Ab his Germanicum gubernium repugnare visum est, ita ut timendum quoque fuerit, ne ad arma esset recurrendum. Atvero prudens apud Germanos sententia vicit, iamque dictatur fore ut primis huius mensis Ianuarii diebus acta quoque illa rite subsignentur. Ita tandem ad suos remeabunt Teutones in Gallia captivi, cuius redditus fuerat interceptus ob moras de foederis pactionibus explendis interpositas. Restant heu! qui in Siberiam deducti sunt, ob defectum, aiunt, vocationis. In eorum quoque auxilium recens iterum accurrit Summus Catholicae Ecclesiae Pontifex et Pater misericordissimus, qui incessibili qua in miseros flagrat caritate, ad supremos statuum pientissimarumque sociatum praesides se convertit, ut una mente animoque uno secum consociarentur ad tantam removendam permanentem iacturam.

* *

Hispanici motus.

Non vero exhaustae tantum a diurno bello nationes mala patiuntur: Hispania quoque sua perfert, quemadmodum deducere licet ex frequentibus et inibi operariis a laboribus desertionibus, quarum gravissima Madritum ac Barcino civitates expertae sunt; tum ex frequentibus non minus administrorum immutationibus. Bis enim in una hebdomada gubernium, cui Toca nunc praeerat, a munere se abdicavit.

* *

Ex aedibus Vaticanis.

Die decima quinta elapsi mensis Decembris habitum in Vaticano est Sacrum Consistorium, in quo purpura honestati sunt viri excellentissimi Adulphus Bertram, episcopus Breslavien., iam diu « in pectore a Pontifice reservatus »; Philippus Camassei, patriarcha Hierosolymitanus, Augustus Silj, alter a Camerario S. R. E.¹ Ioannes Soldevilla y Romero, archiepiscopus Caesaraugustanus, Theodorus Valfré di Bonzo, Apostolicus nuntius Vindobonae, Alexander Kakowski, archiepiscopus Varsavien., Edmundus Dabor, archiepiscopus Gnesnen. et Posnaniens., Poloniae « primas » creatus. Quam allocutionem in illis sollempnibus Christi Vicarius habuerit, minime innotuit; sermonem vero, quo Emorum Patrum votis in novum annum oblatis respondit, omnes sumus, uti par erat, meditati. Ipse enim sub oculis ad vivum posuit vanos eorum conatus, qui praeter Deum crederent maximis hodiernis malis mederi; omnes invitavit ut mundi vices ad supernaturale lumen contemplarentur, quod unicum est aptum

¹ Viro clarissimo, qui vix ALMA ROMA edita est, benevolentiam suam erga nos per consociationem patefecit, eamque servavit et servat adhuc, gratulationes et vota nostra humillime hic subicimus (A. R.).

ad earum causas detegendas causarumque unicam medelam afferendam, neque eam solum pro pace singulorum, sed universae hominum societatis; cuius quidem aberrationem quoque denunciavit, per quam contra Deum surrexit, satis sibi sufficere praesumens, atque ita homines trahens ad immodicum sui amorem, ad ordinis cuiusvis eversionem, ad ruinam. Oportet igitur omnes quae pacis vere sunt, ea omnino procurent; nempe actus illos, quibus confirmetur neque a scholis, neque a tribunalibus, neque a publicis coetibus arcendum esse Deum; praeterea industria ac studium ut nationum societates in iustitia erigantur; denique arbitratus iudicunque responsa, quae victos populos aequa poena mulcent, haud quidem interitu.

Atqui omnes apprime intelligunt designationum vim hisce monitis contentam: qui potest, velit aliquando non inanem fructum inde capere.

Kalendis Ianuarii MCMXX.

PORLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Solet novus annus **praeagitorum messem**, per calendaria praesertim, afferre. Unde autem illa eruta? Diespiter! Vigesimo humanitatis saeculo desunt nondum astrologi! Quos tamen ego, morem hodie moribus gerere cupiens, non sequar; sed villici verbis me credam, qui experientia doctus se loqui profitetur; utrum autem vera dixerit an non, puto iam vos, lectores mei, experimentum egisse: non enim primum hodie talia mihi confidit, quae vobis fideliter retuli.

Tempus igitur anni futurum ex temporis antecedenti conditione praevideri posse ille asserit. Nos enim - ait - ventosam hiemem ex autumni serenitate disci-

mus; ex irrigua aestate autumnum siccum; ex frequentibus Martii nebulis, imbrum pluviarumque totius anni frequentiam colligimus; ros eodem fusus mense, pari sub Paschatis diem numero, pruinias dabit. Incisa Novembri aesculus lignoque sicca, tepentem brumam; humida vero algentem denuntiabit. Maturata frequensque glandium copia praeproperam hiemem, praeognantem nivium pree festis Natalitiis copiam, post acerbam frigoris inclem tam, arguet. Quinimo una dies saepe plurium naturam aperit. Sic kalendae Ianuariae caelo late inflammatae, rubentes tempestates nuntiant. In supremo Bacchanalium die, quadraginta insequentes pari fere aut sereni frigoris, aut nebulosae pluviae incremento licebit intueri. Item die secunda mensis Iulii, pariterque Decembris, si pluviam incurrit, quadraginta post dierum serenitatem desperamus.

* *

Neque satis; de sterili enim frugiferove anno haec rusticus meus profert indicia: Ex vere temperati caloris atque autumni serenitate, ex moderata cum siccitate pluvia, ex glandium fabarumque raritate, ex avium per urbes villasque infrequentia, bene de frugibus ominari licet. Secus, ubi contraria evenerint, ubi ver exundarit floribus praematurisque fructibus, ubi volucres gregatim silvis insederint, graculi turmatim cesserint; ubi denique locustis erucisque agris ac virentes arbores spoliatae. In diversorum etiam dierum imaginem ad explorandam anni naturam intueri possumus. Ubi enim Natalis Christi dies in lunare incrementum inciderit, totus ad fertilitatem annus proficit, qui vicissim cum luna decrescente defecturus creditur. Dies Ianuarii mensis xxv, nebulis incurribus, contagionem; serena rerum copiam promittit; pluvia anni spem facit mediocris. Et Palmarum lux turbida et Pentecostes displicet. Assumptae in caelum

Virginis purus dies, non vanam de vino exspectationem alit. Et ex pomo querno sub initium Octobris aperto ventrae sterilis tis aut copiae certitudinem disces. Si araneum in pomo diffracto latitatem reperies, nihil fecundum magnificumque animo concipe; si vermiculum hanc sedem occupasse videris, felicem tibi annum tuto pollicere, praesertim ubi... vermem adspectu non ingratum adspexeris.

* *

Et ipsa eloquentia sua motus: Nihil adeo - concludebat - in caeli temporumque secretis abditum latet, cuius non obscura saltem ad agricolas nos pertingat cognitio. - Quum autem ego alia ab eo blandis verbis expiscari sategerim: Nonne astrorum - demulctus subdit - nos omnem aurae vicissitudinem ad momenta verius exploramus? Erubescens sub aurora, ex nocturnis vaporibus in Oriente caelum, ventos pluviasque ventrae diei minatur. Sub noctem tamen, ubi solem rara purpureaque in nube disparere videris, serenitatem exspecta. Diem quoque sine labe occidentem orientemque nulla deinde tempestas inficiet. De luna hunc versum usurpamus:

Pallida luna pluit; rubicunda flat; alba serenat.

Tonitrua matutina ventum, meridiana imbre facile pariunt. Stellae noctu rares pluviam; fugitvae volantesque Eurum pollicentur. Ros per agros sparsus, dissipatae deiectaeque per terram a sole nebulae candidum diem afferent. His nos regulis ad arationem, sementem, messem secure utimur.

Plausum igitur villico demus, qui tantam sapientium notionum copiam nobis suppeditavit; dignus profecto qui Ludovici XI aetate viveret, Agaso alter, qui, de aere verius quam astrologus apud regem iudicans, illius in locum assumeretur, ansaque ac stipendio una cum asino - (felicet illo animali!) - donaretur.

**

Cuius quidem vestigiis insistens, sinatis quaeso, lectores humanissimi, ut ipse mea vice vaticinia, imo fortasse veriora, de inchoato nuper anno proferam: sum etenim de re iam optime edoctus et instrutus.

Quum autem iam omnes sciant huic anno MCMXX a Ianuario mense initium fuisse factum, addam illum per menses duodecim, per hebdomades duas et quinquaginta, per dies trecentos sexaginta sex - (est enim intercalarius) - ad finem decurere. Dicam a luna noctem, a sole diem illustrari: quae sidera ubi radios orbi subtraxerint, crassas ingruere tenebras. Et hiemem rus nivibus, ver floribus, aestatem messibus, autumnum uvis completa. Et poetas et mulieres multa per totum annum fabulaturos; et studiosos adolescentes scholam amatueros, sed fine magis quam initio eius contentos; et non solum milvos, sed fures pullis gallinaceis fore infestos; mercatores et cauponas strenue mentituros; et multum sanguinis inter lanios - (nec fortasse inter lanios solum) - iri profusum. Fore insuper ut in Russia magnates, non rustici serant, et ne messem quidem satam ipsi colligant; quae uti debitum vectigal bolscevicorum gubernio tribuetur, ...

Sed iam finis singularissimis profecto divinationibus esto, ne quis non aliter quam ille qui pro ove tondebat asinum, - (non quidem Agasonis asinum, quem commemoravi) - in me exclamat: Multum clamoris, at lanae parum!

**

locosa.

Tuccius Magistro:

— Verumne est, quod nuper legi, lumen esse incolis frequentissimam?
— Ita, saltem, affirmant.

— O miseram eorum sortem! Quam presse vivere illi debent, quum ad prium et ultimum quadrantem sidus illud deducitur!

Coram tribunal orator:

— Et quum infelix iste homo nescire quid faceret, opus absolvite vos, iudices eum dimittite.

**

Aenigmata.

I.

Flumine perpetuo me sanguinis irrigat unda.
Inseritur mihi rho? Servili munere fungor.

II.

Graeci me clipeum; colubrum dixere latini.
(Aenigmata in superiore numero propo-
sita his respondent: 1] Prae-saepe; 2] Mel-os).

IOSFOR.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

CARLO PASCAL. *La critica dei poeti Romani in Orazio* (Catanae, ex off. Francisci Battati, 1920). — Ven. lib. 3,50.

DR. GIAMBATTISTA BELLISSIMA. *Flora e fauna latina nelle monete consolari*. Contributo allo studio della storia naturale presso i Romani. — Parte I: Introduzione e Flora (Senae, ex off. S. Bernardini, MCMXIX).

ORAZIO PREMOLI. *Andrea Towianski* (1799-1878). Contributo alla storia del misticismo contemporaneo. — Seconda edizione riveduta e ampliata. (Romae, ex off. F. Ferrari). — Ven. lib. 1,50.

CORALIUM

Carmen FRANCISCI TRANQUILLINI MOLTEDO.¹

Inde datur levibus decurrere copia pinis
Aequora aperta; viris tellus non amplius ulla
Occurrit. Nunc dux animos, nunc promere

[vires

Hortatur, quo vela petant, et vincere cursum.
Solem adeo et crebro tacitam sine sidere no-

[ctem

Alta tenent; servantque vices, si corpora pos-
[sint

Auxilio recreare, morae vel taedia cantu.

Iam contra insani montes,² portusque pate
[scunt

Sardiniae, visique procul subvolvere fumum.
Hic locus, in geminas qua se via pandit eunti:
Recta, freti quae claustra subit resonantia

[Taphri:

At subitus si forte feris conatibus alto
Incubuit, boreasque premit transversa, legenda
Laeva rati via, circuitu radendus et infra
Pontus. Iter peragunt hac, iam melioribus usi
Auspiciis, Libyam si certent tangere metam.
Sic alios rediisse pudet, vel flectere vento
Linteal proclivi; contra toto impete certum est
Obniti, fluctusque freti superare minaces;
Et laeva scopulis, (caput his Hermea) relictis,
Arripiunt crebris Taphri sparsa aequora terris.
Tum, quos coralium Ichneusae et prope littora

[Cyrni

Collegisse iuvat, socias, facto agmine, cymbas
Communi properant portu subducere. Sedes
Algara stat nautis, et Cyrni urbs adsita Ta-

[phro;³

Commoda ubi arma parent propius, praedam-
[que reponant,
Quoque fatigatos se mittant tempore certo.
Dividit at longe via adhuc, queis barbara Syrtis

[centes.²

Contingit statio, mauraque mapalia gentis:
Aenosis subeunda prius, scopulique Diana, Vel, quando interclusit hiems, Ficaria fronte

Opposita, remusque diu lentandus in undis,
Quam notae accipiant telluris littora ovantes,

Gallus ubi victis dominatus moenia servat,
Portaque mutandis Afrorum mercibus adstat.¹

Tergemina tandem nautis statione potitis,
Accelerare vices, (tempus namque ingruit)

[atque
Limite partiri curant vada longa magistri,
Vel brevia obcaecata mari. Quam multa te-

[gantur
Consita, nec numerum memorem, aut quae

[nomina cuique:
Ipse stupet, cursus iterans, vel nauta quotannis

Invenisse nova, et gaudens nova nomina si

[gnat.
Armorum hic locus ingenii; quo forte pa-

[rentur
Ordine, qui iacere et qui sit deducere, praeda

Congesta, modus. Atque equidem non mollia

[dictu,
Si tamen antiqua signare nota abdita rerum,
Et nova iam possim spectacula aequare ca-

[nendo,
Adgrediar. Simul est pelago captare coralla

Inventum, et primam nautae legere per artem,
(Quo manet Ausoniam iam facti fama vetusta),

Ligneal suffecit tantum, vilisque supelle;

Et veteres quamvis artes, volventibus annis,
Extuderit, cultusve frequens mutaverit, arma

Prima tenent, quamquam docti meliora, re-

[centes.²

¹ Duo oppida indicantur ad oram superioris Africae, nempe *Bastioni di Francia* et *La Calle*.

² Paucis abhinc annis propositum est, ut urinatores adhiberentur, lorica glutinosa penitus defensi, et vitro ad faciem tegumento apposito. Sed frustra: obstat enim maiorum studium et cultus, praesertim apud rudes homines haud facile dimovendus.

³ Bonifacio, cuius urbis melior incidet ulterius mentio.

Nempe est transversus compar vix unus et
[alter] Truncus,¹ metitur quem saepe decempeda, et
[omnes] Circumeunt costas ferrato dente capistra.
His medium truncis immanni pondere saxum
Nectitur, ut subito piscatrix pertica arenis
Haereat extremis, arcta compage, per undas.
Aequato suggesta trabi discrimine cuique
Retia dependent, queis infra aperitur hiatus.
Brachia quot circum praetendit machina bina,
Ex imo totidem spatiantur retia ligno.
Mox septem suspensa quater per brachia,
[septem] In trabibus tandem mediis, hac ordinis arte
Ut medio sint longa loco, breviora recedant.
Ordinis haec vis, ut si quando retia contra
Tendere contigerit scopolis, qui multa supinis
Cautibus ima tenent, arrecta fronte, coralla,
Quodque suum complexa gradum, non retia
[ludum,]
Alterum in alterius se trudens limite, turbent.
Ergo omnis rite his armis instructa iuventus,
Prima duces quum signa viae cecinere, reces-
[sus]
Linquere festinant, atque otia grata brevesque
Excursus tentare. Lubet vestigia retro
His legere, et notas, quoniam data plurima
[praedae]
Copia, inire vias; illis procurrere longe,
Et metis, qua monstrat iter fortuna, relictis,
Incertis brevibus cupidam obiectare carinam.
Hinc pars, infaustam radens Carthaginis oram.
Dissociata petit Tunetani tramite dextro
Littora lata sinus, et sparsas cominus aras.
Pars subit exiguum Tabracam, Calatamque
[revisit]
Optant laeva alii, Hipponis prope moenia, saxa,
Atque Diarrytum dextra. Iam parte pererrant
Diversa penitus naves, atque aequora lustrant
Urcinium iuxta, primaecque ab arcibus urbis,
Quae Taphrum penes, immutato nomine ab illo
Dicuntur. Hermeae hic penetrant Tibulaeque
[per aras]

Herculis et multo qua tunditur ampla recursu
Insula, ad extremos, propter divortia, Sulcos.
Disce modo, et magnos mecum, mercede nec
[usque]
Digna, qui nautis superant, perpende labores.
Si multos malit retro observata per annos,
Ante oculis hinc inde capit loca tuta magister,
Indicio, quod fingit aquis prope littoris oras,
Angulus, acclivi facie iuga bina tuent;
Et praedam, ne forte dehinc eludat euntes,
Obstructam reperisse ratus, per inane repulso
Designat saxo, quod summis parvus in undis
Detegat haud dubie, spoliato subere, cortex.
Arrepta statione semel, iactare per aequor
Arma iubet, sociosque parat: tunc retia nautae
Ante supinata agglomerant, saxoque vicissim
luncta gravant medio; inque latus, cohibente
[rudentem]
Praecipitant dextra longum; sic vortice vasto
Imo continuo pelago prolapsa residunt.
Tendere iter vento tunc, et considere transtris
Iussa manus, duros donec laxata per altum
Retia corripiant scopulos; modo nulla resor-
[bens]
Arceat unda trabum, alterno vel flumine, cur-
[sum].
Incultum, quid pressa diu praedamne rigensne
Machina corripuit saxum: tamen inde mora-
[rum]
Augurium grato nautae rumore salutant.
Extemplo, morsu postquam tenuere recurvo
Navigium, properant omnes deducere rete.
Ingens de prora recto axe stat ergata: circum
In numerum quatuor totidem vi ligna voluant
Delecti iuvenes; plantis firmique lacertis
Cannaba suppeditant bini venientia, quaeque
Explicit axis humi sinuosa volumina, bini
Expediunt manibus; vigilat per transtra ma-
[gister],
Dictis attollens vires. Illi impete torquent
Exercentque trabes; animos celer halitus hau-
[rit].
(Ad proximum numerum).

JOSEPHUS Dr. FORNARI Spansar

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

¹ Huiusmodi instrumentum *Ingegno vulgo nuncupatur:*

C. DEL VECCHIO

SINGULIS